



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta

Complectens Quæstiones, Qvæ Dispvatæ Dicvntvr, & Quæstiones
Quodlibetales, siue Placitorum eiusdem S. Thomæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

Qvaestio VII. De libro vitæ. Et habet art. 8.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72780)

cem in perfectionibus primis consequendis, iuuantur tamen ad inuicem, quantum ad perfectiones secundas: & est etiam aliquod membrum in corpore, quod primo formatum inuadit ad formationem aliorum membrorum, scilicet cor. vnde ratio procedit ex falso.

PRIMUM autem in contrarium concedimus. AD SECUNDUM dicendum, quod Paulus nunquam fuit reprobatus secundum dispositionem diuini consilii, quod est immutabile: sed solum secundum dispositionem diuinae sententiae, quae accipitur, secundum inferiores causas, quae quandoque mutantur. vnde non sequitur quod ratio fuerit causa praedestinationis, sed quod inuenerit solum ad praedestinationis effectum.

AD TERTIUM dicendum, quod quamuis praedestinatio, & finalis gratia conuertantur, non tamen oportet quod quicquid est causa gratiae finalis quocumque modo sit etiam causa praedestinationis, sicut patet ex praedictis.

In cor. ar. 6
Art. 2.

AD QUARTUM dicendum, quod quamuis Traianus esset in loco reproborum, non tamen erat simpliciter reprobatus. Praedestinatum enim erat quod precibus Greg. saluaretur. Quintum concedimus.

QVÆSTIO VII.

De libro vitae.

In octo articulos diuisa.

- ¶ Primo enim quaeritur, Vtrum liber vitae sit aliquid creatum.
- ¶ Secundo, Vtrum liber dicatur in diuinis personaliter vel essentialiter.
- ¶ Tertio, Vtrum liber vitae approprietur filio.
- ¶ Quarto, Vtrum liber vitae idem sit quod praedestinatio.
- ¶ Quinto, Vtrum liber vitae dicatur respectu vitae increatae.
- ¶ Sexto, Vtrum liber vitae respectu vitae in creaturis dicatur.
- ¶ Septimo, Vtrum liber vitae dicatur simpliciter respectu vitae gratiae.
- ¶ Octauo, Vtrum sicut dicitur liber vitae, possit dici etiam liber mortis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum liber vitae sit aliquid creatum.

8. p. q. 19. ar.
tic. 8.

QVæstio est de libro vitae. Et primo quaeritur. Vtrum liber vitae sit aliquid creatum. Et videtur quod sic, quia Apoc. 20. super illud. Alius liber apertus est, qui est liber vitae, dicit glo. 1. Christus qui tunc apparebit potens, & tunc dabit vitam: sed Christus in iudicio in forma humana erit, quae non est aliquid increatum. ergo liber vitae nihil increatum dicit.

Glo. ordinata
sibi.

¶ 2 Praet. Gregorius in Moralibus dicit, quod liber vitae dicitur ipse iudex venturus, quia quisquis eum viderit mox cuncta quae fecit ad memoriam reuocabit: sed Christo datum est iudicium secundum humanam naturam, vt patet Ioan. 5. Potestatem dedi ei iudicium facere, quia filius hominis est. ergo Christus secundum humanam naturam est liber vitae, & sic idem quod prius.

¶ 3 Praet. Liber dicitur ex hoc quod est receptius scripturae: sed receptiuum dicitur aliquid ex potentia materiali quae in Deo esse non potest. ergo liber vitae non dicitur aliquid increatum.

¶ 4 Praet. Liber cum importet quaedam collectionem, designat distinctionem, & differentiam: sed in natura increata quae est simplicissima, nulla diuersitas inuenitur. igitur liber ibi dici non potest.

¶ 5 Praet. In quolibet libro differt scriptura libri

ab ipso libro. Scriptura autem libri dicitur figura quibus cognoscimus, quae in libro scripta sunt, & leguntur. Idem autem quibus Deus res cognoscit, non sunt aliud quam diuina essentia, ergo ipsa natura increata liber dici non potest. Sed dicitur, quod quamuis in natura diuina non sit aliqua realis differentia, est tamen ibi aliqua differentia secundum rationem.

¶ 6 Sed contra. Quod est secundum rationem solum, est in intellectu nostro tantum. Si igitur differentia quam liber requirit, est solum secundum rationem, oportet quod sit tantum in intellectu nostro liber vitae, & ita non erit quod increatum.

¶ 7 Praet. Liber vitae videtur esse cognitio diuina de saluandis. Cognitio autem saluandorum est scientia visionis continentur, cum enim anima Christi omnia in verbo videat, & Deus cognoscit scientia visionis, videtur etiam quod numerum electorum cognoscat, & omnes electos. ergo anima Christi liber vitae dici potest, & sic est aliquid creatum.

¶ 8 Praet. Eccl. 23. dicitur. Haec omnia liber vitae nouum & vetus testamentum: sed haec sunt quae creatum. ergo liber vitae dicitur quod creatum.

¶ 9 Praet. Liber videtur ex eo dici quod in eo est aliquid scriptum, scriptura autem aliquam differentiam requirit: vnde & intellectus noster in principio propter sui puritatem comparatur libro in qua nihil est scriptum: sed diuina natura multo est purior, & simplicior, quam intellectus noster. ergo non potest dici liber.

¶ 10 Praet. Liber est ad hoc quod in eo legatur: sed non potest dici, quod diuina natura sit liber, quia ipse in seipso legatur, vt per Aug. patet, qui dicit, quod non dicitur ideo liber vitae, quia aliquid in seipso legatur ad hoc, quod cognoscatur in seipso: prius nesciuit: similiter nec potest dici liber, quia alius in eo legatur. Nullus enim potest legere aliquid nisi ubi inuenitur aliqua difformitas. sicut in charta non scripta nihil legitur propter sui uniformitatem. ergo diuina natura increata liber dici non potest.

¶ 11 Praet. A libro non accipitur cognitio de rebus tanquam a causa rerum, sed tanquam a signo: sed in Deo accipitur scientia de rebus non quod a signo, sed quasi a causa. ergo liber vitae diuina cognitio dici non potest.

¶ 12 Praet. Nihil est signum sui ipsius, liber autem est signum ipsius veritatis. Cum ergo Deus sit ipsa veritas, non potest ipsemet liber dici.

¶ 13 Praeterea. Alio modo est scientia principum liber quam magister: sed omnis sapientia dicitur esse a Deo, tanquam a magistro. non ergo quasi a libro.

¶ 14 Praet. Alio modo presentatur res in speculo quam in libro: sed Deus dicitur speculum, scientiae. 7. propter hoc quod res omnes representantur in ipso. ergo non debet dici liber.

¶ 15 Praet. Ab vno libro originali etiam qui transcribuntur, libri dicuntur: sed mentes humanae angelice quodammodo transcribuntur a mente diuina dum ab ea cognitione de rebus accipiunt: si ergo mens diuina liber vitae dicitur, & mentes creatae libri debent dici, & sic liber vitae non solum per dicitur quod creatum.

¶ 16 Praet. Liber vitae videtur importare representationem vitae, & quandam causalitatem ad vitam: sed hoc totum conuenit Christo secundum hominem, quia etiam in ipso sicut in exemplari representatur omnis vita graue, & glorie, vt dictum est Moy. Egred. 2. 1. &c.

de, & fac omnia secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est: similiter ipse nobis vitam promeruit: ergo ipse secundum quod homo potest dici liber vitae.

SED CONTRA, Est qd dicit Aug. in 20. de Citit. Dei. vis quadam intelligenda est diuina, qua fiet vt cuiq; opera sua, vel bona, vel mala ad memoriã reuocentur, quã nimirum vis diuina libri nomẽ accipit: sed vis diuina est quid increatum. ergo liber vitæ dicit quid increatum.

¶ 2 Præter Aug. in eodem dicit, quod liber vitæ est præsentia diuina, quã falli non potest: sed præsentia est quid increatum. igitur &c.

RESPON. Dicendum, qd liber in diuinis nõ potest dici nisi metaphorice, vt ipsa representatio vitæ liber vitæ dicat. Et ad hoc sciendum qd vita dupliciter representari potest. Vno modo ipsa vita secundum se. Alio modo secundum quod ab aliquibus participabilis est. vita autem secundum se ipsam representari potest dupliciter. Vno modo, per modum doctrinæ, quã quidẽ representatio maxime pertinet ad auditum, qui est maxime sensus disciplina, vt dicitur in principio de Sen su, & sententia. Et hoc modo liber vitæ dicitur in quo continetur doctrina de vita consequenda, & sic Nouum, & Vetus testamentũ liber vitæ dicitur. Alio modo per modum exemplaris, & hæc quidem representatio pertinet ad visum. Et sic liber vitæ dicitur ipse Christus, quia in eo sicut in exemplari possumus aspicere qualiter sit viuendum, vt perueniamus ad vitam æternam. Sic autem nunc non agimus de libro vitæ: sed secundum qd liber vitæ dicitur representatio eorum, qui ad vitam peruenient, qui dicitur in libro vitæ conscripti secundum quandam similitudinem ad res humanas. In qualibet. n. multitudine, quã providentia regitur alicuius gubernantis, ad multitudinẽ illam nullus admittitur, nisi secundum gubernantis ordinationem: & ideo illi qui debent admitti ad collegium multitudinis, conscribitur quasi illius multitudinis consortes, & ex illa conscriptione dirigitur princeps multitudinis in admittendis, vel excludendis ad consortiũ illius multitudinis sibi subiecta. Multitudo autem, quã conuenientissimo modo gubernatur, est collegiũ Ecclesie triumphantis, quẽ ciuitas Dei vocatur in scripturis. & ideo conscriptio illorum, qui ad illã societatem sunt admittendi siue representatio, liber vitæ dicitur, quod patet ex modo loquendi in scripturis, dicitur. n. Luc. 10. Gaudere quia nomina vestra scripta sunt in cælis, id est in libro vitæ. Et Esa. 4. Sãctus vocabitur omnis, qui scriptus fuerit in vita in Hierusalẽ. Heb. 10. Accessistis ad montem Sion, & ciuitatem Dei viuentis Hierusalẽm cælestem, & multorum millium angelorum frequentiam, & Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis. oportet igitur, vt similitudinem sequamur, vt ex hac conscriptione dirigatur ad vitam conferendam ille, qui tali multitudini præest, quod soli Deo conuenit. Ipse autem non dirigit ab aliquo creato, cum sit regula a nullo extrinseco directã. vnde liber vitæ, secundum quod nunc de eo loquimur aliquid increatum dicit.

AD PRIMUM ergo, & secundum patet responsio ex dictis. loquitur. n. glo. & auctoritas Greg. de libro vitæ secundum aliam acceptionem, scilicet quã dicitur exemplar viuendi, quo inspecto quilibet scire poterit, in quo exemplari concordauerit, & in quo discordauerit.

AD TERTIUM dicendũ, qd in illis q̃ translatiuæ

A dicuntur de Deo, hoc est generaliter obseruadũ, qd secundum nullam imperfectionem in diuinã prædicationẽ assumantur, & ideo auferendũ est, quicquid ad materialitatem, vel priuationem, vel temporalitatem pertinet: qd autem sit liber accipiuntur alicuius extraneæ impressionis, conuenit libro in quantum est tẽporalis, & de nouo conscriptus, & scilicet in hoc in diuinã prædicationem non venit.

AD QVARTVM dicendum, qd de ratione libri est, qd importat differentiam eorum, quã cognoscuntur per librum, quia per vnum librum multorum cognitio traditur: sed qd oporteat ad multorum cognitionem tradendã in ipso libro esse diuersitatem hoc est ex defectu libri. Multo. n. esset liber perfectior, si per vnum quoddam posset omnia edocere q̃ per multa edisserit. vnde cum in Deo sit summa perfectio, ipse talis liber est, qui multa demõstrat per id, quod est maxime vnum.

AD QVINTVM dicendum, qd hoc est ex defectu libri materialis, qd literæ in eo scriptæ differunt a charta in qua scribuntur. hoc. n. ad eius compositionem pertinet, ex qua contingit vt habens non sit id, quod habetur. & id in Deo huiusmodi rationes rerum non differunt ab essentia eius secundum rem, sed secundum rationem tantum.

AD SEXTVM dicendum, qd quãuis diuersitas inter scripturam, & id in quo scribitur, sit in ratione tantum, tamen representatio, quã complet rationẽ libri, non est tantum in ratione nostra, sed in Deo: & ideo liber vitæ secundum rem est in Deo.

AD SEPTIMVM dicendũ, qd liber vitæ, vt dictum est, hæt dirigere Deum qui dat vitam in hoc qd vitam det: quis autem anima Christi habeat in se cognitionem omnium saluandorum, tamen ex hac cognitione non dirigitur Deus, sed ex cognitione intrinseca, q̃ est ipse. vnde scientia animæ Christi non potest dici liber vitæ scilicet, qd de eo hic loquimur. Ad octauum patet responsio ex dictis.

AD NONVM dicendũ, qd quãuis in Deo nulla sit diuersitas, sed summa puritas, tñ cõparatur libro scripto, & non tabulæ nõ scriptæ, sicut intellectus noster. Intellectus. n. noster secundum hoc cõparatur tabulæ rasæ, qd est in potentia ad omnes formas intelligibiles, & nulla earum sit in actu: sed in intellectu diuino sunt omnes formæ rerũ in actu, & omnes in eo sunt vnum, & ideo cum vniformitate stat ibi ratio scripturæ.

AD X. dicendum, qd in libro vitæ, & ipse Deus legit, & alij legere possunt, secundum quod eis datur, nec August. remouere intendit quin Deus in libro vitæ legat: sed quia hoc modo non legit, vt cognoscat, quã prius nesciuit. Alij etiam in eo legere possunt, quãuis sit vniformis per totum, in quantum secundum vnum, & idem est ratio diuersorum.

AD XI. dicendum, quod similitudo rei est duplex: vna est quã est exemplaris, & hæc est causa rei. Alia quã est exemplata, & hæc est effectus, & signum rei, liber autem conformatur apud nos scientiæ nostræ, quã est causata a rebus, & ideo ab eo accipitur cognitio de rebus, non sicut a causa, sed sicut a signo: sed scientia Dei est causa rerum, continens rerum similitudines exemplares, & ideo a libro vitæ accipitur scientia, sicut a causa, & non sicut signo.

AD XII. dicendum, qd liber vitæ, & est ipsa veritas increata, & est similitudo veritatis creatæ, sicut liber creatus est signum veritatis.

AD XIII. dicendum, qd in Deo exemplaris causa & est.

In corp. art. 2.

In hoc art.

QVÆST. VII. DE LIBRO VITAE, ART. II.

& efficiens incidit in idem. & iō ex hoc quod est cā exemplaris potest dici liber. ex hoc autē quod est efficiens causā sapientia potest dici magister:

Ad XIII. dicendū, qđ repræsentatio speculi in hoc differt a repræsentatione libri, quod repræsentatio speculi immediate refertur ad res: sed liber mediante cognitione. Continentur. n. in lib. Figura, quæ sunt signa vocum, quæ sunt signa intellectuum, quæ sunt similitudines rerū. In speculo autem ipsæ formæ rerum resultant. In Deo autē resultant viroq; modo rerum species, in quantum ipse cognoscit res, & cognoscit se cognoscere eas, & ideo ratio speculi, & ratio libri ibi inveniuntur.

Ad XV. dicendum, quod etiam mentes sanctorum libri dici possunt, ut patet Apoc. 20. Libri apti sunt: quod Aug. exponit de conscientijs iustorum: non possunt tamen dici libri vitæ per modū prius dictum, ut ex dictis patet.

Ad XVI. dicendum, quod licet Christus secundum quod homo sit exemplar, & causā vitæ aliquo modo, non tamen secundum, quod homo est cā vitæ gloriæ per auctoritatem, nec est exemplar Deum dirigens ad dandum vitam: unde secundum quod homo non potest dici liber vitæ.

ARTICVLVS II.

Utrum liber vitæ dicatur in diuinis personaliter vel essentialiter.

2. par. q. 19. art. 8.

Glossa ordinaria ibi.

q. preced. artic. 2.

35. de trinit. cap. 11. 10. 2.

SECUNDO Quæritur, utrum liber vitæ dicatur essentialiter, vel personaliter in diuinis. Et videtur qđ personaliter. In Psal. enim 39. dicitur. In capite libri &c. glossa apud patrē, qui est caput mei: sed nihil habet caput in diuinis, nisi quod habet principium, quod autem habet principium personaliter dicitur in diuinis. ergo liber vitæ dicitur personaliter.

¶ 2. Præ. Sicut verbum dicit notitiam ex alio procedentem, ita & liber, quia scriptura libri, a scriptore procedit: sed verbum ratione prædicta dicitur personaliter in diuinis. ergo & liber vitæ. Sed dicendum, qđ verbum importat processum reālē: liber autem processionem rationis tantum.

¶ 3. Sed contra, nos non possumus nominare Deū, nisi ex his quæ apud nos sunt: sed sicut apud nos verbum a prolatore procedit realiter distinctum ab eo, ita & liber a scriptore. ergo eadem ratione verumq; importabit in diuinis distinctionē realem.

¶ 4. Præ. Verbum vocis magis distat a dicente, qđ verbum cordis: & adhuc magis verbum scripturæ quod significat verbum vocis. si ergo verbum diuinum, quod sumitur ad similitudinem verbi cordis, ut Aug. dicit realiter distinguitur a dicente, multo magis liber, qui scripturam importat.

¶ 5. Præ. Illud, quod attribuitur alicui, oportet qđ ei conueniat secundum omnia, quæ sunt de rōne ipsius: sed de ratione libri nō solum est, qđ aliquid repræsentet, sed etiam quod ab aliquo scribatur. ergo in diuinis accipitur nomen libri secundum quod est ab alio, & sic personaliter dicitur.

¶ 6. Præ. Sicut de ratione libri est, quod legatur: ita qđ scribatur, sed secundum quod scribitur est ab alio, secundum qđ legitur est ad alium. ergo de ratione libri est qđ sit ad alium, & ab alio: & sic personaliter dicitur.

¶ 7. Præ. Liber vitæ dicit notitiā ex p̄sā ab alio: sed qđ exprimitur ab alio, orit̄ ab eo ergo liber vitæ im-

portat relationem originis, & sic d̄r personaliter. SED CONTRA est, quod liber vitæ est ipsa diuina p̄destinatio ut Aug. dicit in lib. de Cui. Deo. Et ut habet in gl. Apoc. 20. sed p̄destinatio d̄r essentialiter, & nūquam personaliter. ergo & liber vitæ.

RESPON. dicendum, qđ quidam dixerunt, qđ liber vitæ quandoque dicitur personaliter, quādoque essentialiter, secundum. n. qđ transfertur in diuina ex rōne scripturæ dicitur personaliter, & secundum hoc importat originē ab alio. liber enim non nisi ab alio scribitur, secundum autē quod importat repræsentationem eorū, quæ in libro scribuntur d̄r essentialiter. Sed ista distinctio non videtur rōnabilis, quia nomen aliquod dictum de Deo non d̄r personaliter nisi de sui rōne originē relationis importet, secundum hoc, quod in diuinam prædicationem venit. In his autem quæ translative dicuntur non accipitur, metaphoricè secundum quancumque similitudinem: sed secundum uenientiam in illo, quod est de propria rōne cuius nomen transfertur, sicut nomen leonis in Deo non transfertur pp conuenientiam, quæ est in sensibilitate, sed propter conuenientiam in illi qua proprietate leonis. unde & liber vitæ non transfertur ad diuina secundum id, quod est cōueniētiā artificiatō, sed s̄m id quod est propriū libri in quantum liber. Procedere autem a scriptore conuenit non libro in quantum est liber, sed in quantum est artificiatū, sic em̄, & domus est ab arte, & cultellus a fabro. Sed repræsentatio eorum, quæ scribuntur in libro est de propria rōne libri in quantum huiusmodi. unde tali repræsentatione manente etiam si ab alio scriptus non esset, dicitur quidem liber, sed nō esset artificiatū: unde patet quod liber nō transfertur ad diuina, ex hoc qđ ab alio scribitur, sed ex hoc quod repræsentat quæ scribuntur in libro. Et ideo cum repræsentatio sit communis toti trinitati, liber in diuinis d̄r dicitur personaliter: sed essentialiter tantum.

AD PRIMVM ergo dicendum, qđ quia diuina nis essentialiter dicitur, aliquando pro personis supponunt. unde hoc nomē Deus quicquē supponit pro persona patris, quicquē pro persona filij, cum d̄r Deus generans, vel Deus genitus. Et sic de liber quæ essentialiter dicitur, in potest supponere pro persona filij, & secundum hoc dicitur habere caput vel principium in diuinis.

AD SECUNDVM dicendū, qđ verbum s̄m rōnē qua in diuinis d̄r, importat originē ex alio, ut in quæst. de verbo dictū est: liber autem nō importat originem ex sua ratione, secundum quod ad diuina transfertur: & ideo non est simile.

AD TERTIVM dicendū, qđ quāuis liber quæ nos realiter p̄cedat a scriptore, sicut verbum a prolatore t̄m ista processio nō importatur in noīe libri, sicut importatur in nomine verbi: non tamen plus importatur in noīe libri processio a scriptore, quā in noīe domus processio ab arte dicente.

AD QVARTVM dicendum, qđ ratio illa procedet, si de rōne libri esset verbum scripturæ. hoc autem non est verum: unde ratio non sequitur.

AD QVINTVM dicendum, quod ratio illa procedit in his quæ proprie dicuntur: In his autem quæ metaphoricè dicuntur, sicut liber, non oportet quod conueniat eidem secundum omnia prædicta quæ ei conueniunt proprie, alias oportet quod Deus, qui dicitur leo metaphoricè, haberet unguas & pilos.

AD 6. patet respōsio ex dictis, & similiter ad VII.

ARTICVLVS III.

Vtrum liber vitæ approprietur filio.

TERCIO Queritur, Vtrum liber vitæ approprietur filio. Et vñ quod non. liber. n. vitæ ad vitæ pertinet, quæ attribuitur Spiritui sancto in scripturis. Ioan. 6. Spiritus est, qui viuificat. ergo, & liber vitæ Spiritui sancto appropriatur, & non filio.

¶ 2 Præ. Principium in vnoquoque potissimum est. sed pater dicitur caput, sive principium libri, vt patet in Psal. In capite libri scriptum est de me. ergo pater appropriari debet nomen libri.

¶ 3 Præ. Illud in quo aliquid scribitur, habet proprie rationem libri: sed in memoria dicitur aliquid scribi. ergo memoria habet rationem libri: sed memoria appropriatur patri sicut intelligentia filio, & voluntas Spiritui sancto. ergo liber vitæ debet patri appropriari.

¶ 4 Præ. Caput libri pater est: sed in capite libri, vt in Psal. habetur, scribitur de filio. ergo pater est liber filij, & sic patri debet appropriari.

SED CONTRA, Aug. dicit, quod liber vitæ est scientia Dei: sed scientia filio appropriatur. 1. Corin. 1. Christum Dei virtutem, & Dei scientiam. ergo & liber vitæ filio appropriatur.

¶ 2 Præ. Liber representationem importat sicut speculum, & imago, & character, & figura: sed omnia ista filio appropriantur, vel attribuuntur. ergo & liber vitæ filio appropriari debet.

RESPON. Dicendum, quod appropriari nihil est aliud, quam commune trahere ad proprium. Illud autem, quod est commune toti trinitati, non potest trahi ad proprium alicuius personæ, ex hoc quod magis vni personæ, quam alij cõueniat: hoc inæqualitati personarum repugnat: sed ex hoc quod id, quod est commune, maiorem habet similitudinẽ ad id, quod est proprium personæ vnius, quã cum proprio alterius. sicut bonitas habet quandam conuenientiam cõ proprio Spiritui sancto, quod procedit, vt amor, (est n. bonitas obiectum amoris) & similiter potentia appropriatur patri: quia potentia inquantum huiusmodi est quoddam principium: patri autem proprium est esse principium totius diuinitatis, & eadem ratione sapientia appropriatur filio: quia habet conuenientiam cum proprio eius. procedit n. filius a patre, vt verbũ quod nominat processionem intellectus. vnde cum liber vitæ ad motum pertinet, filio appropriari debet.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quãuis vitæ approprietur Spiritui sancto: tamen vitæ cognitio appropriatur filio. hanc autem liber vitæ importat.

AD SECVNDVM dicendum, quod pater dicitur caput libri, non quia sibi ratio libri magis conueniat quam filio: sed quia filius cui appropriatur liber vitæ a patre oritur.

AD TERTIVM dicendum, quod non est inconueniens aliquid appropriari diuersis personis ratione diuersa, sicut donum sapientiæ appropriatur Spiritui sancto inquantum est donum: omnis n. doni principium est amor, sed appropriatur filio inquantum est sapientia. Et similiter memoria appropriatur patri inquantum est principium intelligentiæ: secundum autem quod est quoddam potentia cognitua appropriatur filio, & hoc modo dicitur in memoria aliquid scribi: & sic memoria potest habere rationem libri, vnde & liber magis appropriatur filio, quam patri.

A AD QVARTVM dicendum, quod quãuis liber approprietur filio, tamẽ et cõuenit patri cum sit cõmune non proprium, & ideo non est inconueniens, si in patre aliquid scribi dicatur.

ARTICVLVS IIII.

Vtrum liber vitæ sit idem quod prædestinatio.

QVARTO Queritur, Vtrum liber vitæ sit idem quod prædestinatio. Et videtur quod sic. Aug. enim dicit quod liber vitæ est prædestinatio eorum, quibus debetur vita eterna.

¶ 2 Præ. Tributa diuina per effectus eorum cognoscimus: sed idem est effectus prædestinationis & libri vitæ. scilicet finalis gratia, & gloria. ergo idem est prædestinatio, & liber vitæ.

¶ 3 Præ. Quicquid dicitur Metaphorice in diuinis, oportet reduci ad aliquid dictum proprie: sed liber vitæ dicitur Metaphorice in diuinis. ergo oportet ad aliquid proprie dictum reduci: sed non potest ad aliquid magis proprie dictum reduci, quã ad prædestinationem. ergo idem quod prius.

SED CONTRA, Liber dicitur ex eo, quod in eo aliquid scribitur: sed ratio scripturæ ad prædestinationem non pertinet. ergo prædestinatio non est idem quod liber vitæ.

¶ 2 Præ. Liber de sui ratione nullam causalitatem importat respectu eorum ad quæ dicitur, prædestinatio autem importat. ergo non est idem prædestinatio cum libro vitæ.

RESPON. Dicendum, quod sicut ex dictis patet, liber vitæ dicitur in diuinis ad similitudinẽ scripturæ, per quam princeps ciuitatis dirigitur in admittendis, vel excludendis a ciuitatis suæ consortio: hæc autem scriptura inter duas operationes media inuenitur. Sequitur n. determinationem ipsius principis, qui dicit eos, quos vult admittere ab his, quos excludit, & præcedit ipsam admissionem, vel exclusionem. Scriptura autem prædicta non est, nisi representatio suæ prædestinationis: ita etiam & liber vitæ nihil aliud est quam quoddam conscriptio diuinæ prædestinationis in mente diuina. Prædestinatio n. prædestinat eos, qui sunt ad vitam gloriæ admittendi. huiusmodi autem prædestinationis notitia semper apud Deum manet, & hoc quod est cognoscere se prædestinasse aliquos, est suam prædestinationem in eo esse scriptam, quasi in libro vitæ. liber autem vitæ, & prædestinatio formaliter loquendo non sunt idem, sed materialiter est liber vitæ ipsa prædestinatio: sicut dicimus, quod liber iste, materialiter loquendo, est doctrina Apostoli, quia doctrina Apostoli in eo conscripta continetur. Et hoc modo loquitur Aug. cum dicit, quod liber vitæ est prædestinatio.

VND E patet responsio ad primum.

AD SECVNDVM dicendum, quod quãuis eundem effectum respiciant liber vitæ, & prædestinatio, non tamen eodem modo, sed prædestinatio respicit illum effectum immediate: liber autem vitæ mediante prædestinatione, sicut et in aia sunt rerum similitudines immediate: sed in libro conscribuntur signa verborum, quæ sunt notæ passionis in anima, & ita liber mediate est signum rei.

AD TERTIVM dicendum, quod liber vitæ ad aliquid proprie dictum in diuinis reduci potest. hoc autem non est prædestinatio: sed prædestinationis cognitio, quia Deus aliquos se prædestinasse cognoscit. Ad ea quæ contra obijciuntur, non est difficile respondere.

A K T I.

1. par. q. 24. art. 1. 20. De ciuit. Dei cap. 15. in hinc 10. 5.

Art. 1. huius quæst.

20. de Ciuit. Dei, cap. 15. in hinc 10. 5.

ARTICVLVS V.

Vtrum liber vitæ dicatur respectu vitæ increatæ.

2. par. q. 24
art. 2.
so. De ciuit.
Dei cap. 14.
to. 5.

QUINTO Queritur, vtrum liber vitæ dicatur respectu vitæ increatæ. Et vñ quod sic, quia vt dicit Auguſt. liber vitæ est notitia Dei: sed Deus sicut cognoscit vitæ alienam, ita cognoscit suam. ergo liber vitæ respicit et vitam increatam.

¶ 2 Præ. Liber vitæ est representatio vitæ: sed nõ vitæ creatæ, primum. n. non representat secundũ, sed econuerso. ergo liber vitæ est representatiuus vitæ increatæ.

¶ 3 Præ. Quod de pluribus dñs, de vno per prius, & de alio per posterius dictum, simpliciter intelligitur de eo, de quo per prius dñs: sed vita per prius de Deo dicitur, quàm de creaturis, quia eius vita omnis vitæ est origo, vt ostendit Diony. de Diu. nomi. 7. cap. ergo cum in libro vitæ, vita simpliciter nominetur, debet intelligi de vita increata.

¶ 4 Præ. Sicut liber representationem importat, ita & figura, maxime cum liber figuris quibusdã representat: sed filius dñs figura patris Heb. 1. ergo & filius potest dici liber respectu vitæ patris.

¶ 5 Præ. Liber dicitur respectu eius, quod in libro scribitur: sed in libro scribitur de filio, iuxta illud Psal. 39. In capite libri scriptum est de me: vita autem filij est increata. ergo liber vitæ potest respicere vitam increatam.

¶ 6 Præ. Non potest esse idem liber, & cuius est liber respectu eiusdem: sed creatura est liber respectu Dei. ergo Deus non potest dici liber respectu vitæ creatæ, ergo restat, quod liber vitæ dicitur respectu vitæ increatæ.

¶ 7 Præ. Sicut liber ad cognitionem pertinet, ita & verbum: sed verbum per prius est ipsius diuine essentia, quam creaturæ, Pater enim dicendo se, dicit omnem creaturam. ergo & liber vitæ p prius respicit vitam increatam, quam creatam.

no. de Ciuit.
Dei. cap. 15.
in fine to. 5.

SED CONTRA, Secundum Auguſt. liber vitæ est prædestinatio: prædestinatio autem non respicit nisi creaturas. ergo nec liber vitæ.

¶ 1 Præ. Liber nõ representat aliqd nisi p aliquas figuras, & similitudines: sed Deus non cognoscit seipsum per aliquas similitudines, sed per essentia suam. ergo ipse non est liber respectu sui ipsius.

Art. præc.
& artic. 1.

RESPON. Dicendum, quod sicut ex dictis patet, liber vitæ est quædam conscriptio, per quam dirigunt conferens vitam in vitæ collatione, secundum quod de aliquo præordinatum erat. Et ideo vitæ respectu cuius liber vitæ dicitur, duo habet. Vnum est, quod est acquisita per collationem alicuius. Aliud est, quia consequitur conscriptione prædictam dirigentem in ipsam. Vtrumq; autem deest vitæ increatæ: quia vitæ gloriæ non est in Deo per acquisitionem, sed per naturam: nec aliqua notitia vitam eius præcedit, sed ipsa Dei vitæ præcedit, secundum modum intelligendi etiam ipsius notitiam. Vnde liber vitæ non potest dici respectu vitæ increatæ.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod non quilibet notitia dicitur liber vitæ: sed illa, quæ est de vita quam habituri sunt prædestinati, ut ex sequentibus verbis in auctoritate haberi potest.

AD SECUNDUM dicendum, quod representare aliqd est similitudine eius continere: duplex autem est rei similitudo. Vna quæ est factiua rei, sicut quæ est in intellectu practico, & p modũ huius similitudinis primum potest representare secundum. Alia autem est similitudo

Fdo accepta a re cuius est, & per hũc modũ posterius representat primum, & nõ econuerso. liber autem vitæ non hoc modo, sed primo vitæ representat.

AD TERTIUM dicendum, quod aliquid simpliciter dictum intelligitur quicquid de eo quod per posterius dicitur ratione alicuius adiuncti, sicut ens in alio intelligitur accedens, & similiter vitæ ratione eius quod adiungitur. s. liber, intelligitur de vita creatæ, quæ per posterius vitæ dicitur.

AD QUARTUM dicendum, quod figura representat id, cuius est figura quodammodo, vt principium, eo quod figura & imago deducitur ab exemplari sicut a principio, sed liber vitæ representat vitam, vt principium ab ipso. Deo autem competit esse principium filij, qui est figura patris, sed non competit vitæ eius quod aliquid sit ipsius principium, & ideo non est simile de vita & figura.

AD QUINTUM dicendum, quod illud intelligitur de filio secundum humanam naturam.

AD SEXTUM dicendum, quod causa representat effectum, & econuerso, vt ex dictis patet, & secundum hoc Deus potest dici liber creaturæ, & econuerso.

AD SEPTIMUM dicendum, quod verbum non significatur, vt principium eius quod per verbum dicitur, sicut liber vitæ put hic accipitur, & ideo non est simile.

ARTICVLVS VI.

Vtrum liber vitæ respectu vitæ nature, in creaturis dicatur.

SEXTO Queritur, vtrum liber vitæ dicatur respectu vitæ nature in creaturis. Et videtur quod sic, quia sicut vita gloriæ representatur in Dei notitia, ita & vitæ nature: sed Dei notitia dicitur liber vitæ respectu vitæ gloriæ. ergo etiam debet dici respectu vitæ nature.

¶ 2 Præ. Diuina notitia continet omnia per modum vitæ, quia vt dicitur Ioan. 1. Quod factum est in ipso vita erat. ergo debet dici liber vitæ respectu omnium & maxime videntium.

¶ 3 Præ. Sicut ex diuina prouidentia aliquis præordinatur ad vitam gloriæ, ita & ad vitæ nature: sed notitia præordinationis ad vitæ gloriæ dicitur liber vitæ, vt dictum est prius. ergo & notitia præordinationis ad vitam nature dici potest liber vitæ.

¶ 4 Præ. Apoc. 3. super illud, Nõ delebo nomina eorum de libro vitæ. dicitur glo. Liber vitæ est diuina notitia in qua consistunt omnia ergo liber vitæ dñs respectu omnium, & ita etiam respectu vitæ nature.

¶ 5 Præ. Liber vitæ est notitia quædam de vitæ gloriæ, sed nõ potest cognosci vitæ gloriæ nisi cognoscatur vitæ nature. ergo liber vitæ respicit vitam nature.

¶ 6 Præ. Nomen vitæ translatum est a vitæ nature ad vitæ gloriæ: sed verius dñs aliqd de eo quod proprie dñs, quæ de eo quod ad hoc translatum. ergo liber vitæ magis respicit vitæ nature quã vitam gloriæ.

¶ 7 Præ. Id, quod est permanentius & communius est nobilius: sed vitæ nature est permanentior quã vitæ gloriæ vel gratiæ, & similiter communior, quia vitæ nature sequitur ad vitam gratiæ & gloriæ, sed non conuertitur. ergo vitæ nature est nobilior, quã vitæ gratiæ & gloriæ. ergo liber vitæ magis respicit vitam nature, quã vitam gloriæ vel gratiæ.

SED CONTRA, Liber vitæ est quodammodo prædestinatio, vt patet per Aug. sed prædestinatio non est de vitæ nature. ergo nec liber vitæ.

¶ 2 Præ. Liber vitæ est de illa vitæ quæ imediata Deo datur: sed vitæ nature datur a Deo mediatis causis nature.

naturalibus. ergo liber vitæ non est de vita nature.

RESPOND. Dicendum, quod liber vitæ est qdam notitia dirigens datorem vitæ in vitæ collatione, vt dictum est supra. In collatione autem aliqua nõ indigemus directione, nisi propter hoc quod oportet discernere eos quibus dandum est, ab eis quibus dandum non est. Vnde liber vitæ non est nisi respectu illius vitæ, quæ cum electione datur, vita autem naturalis sicut & alia bona naturalia communiter omnibus datur, secundum quod vnusquisq; est capax: & ideo respectu vitæ nature non est liber vitæ, sed solum respectu illius vitæ, quæ secundum propositum Dei eligentis, quibusdam datur, & quibusdam non datur.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quævis vita nature repræsentetur in Dei notitia sicut & vita gloria, nõ tamẽ notitia vitæ nature habet rationẽ libri vitæ, sicut notitia vitæ gloriæ, ratione prædicta.

AD SECUNDUM dicendum, quod liber vitæ non dicitur liber vitæ, quia viuunt, sed liber qui est de vita, ad quam aliqui secundum electionem præordinantur, qui sunt conscripti in libro.

AD TERTIUM dicendum, quod prouidentia Dei, vitam aliquibus prouidet vt debitum nature ipsorum, sed vitam gloriæ non prouidet nisi ex beneplacito suæ voluntatis: & ideo vitam nature dat omnibus qui capere possunt, non autem vitam gloriæ, & propter hoc non est aliquis liber vitæ nature, sicut est vitæ gloriæ.

AD QUARTUM dicendum, quod glossa illa non est intelligenda hoc modo, quod omnia cõstent, id est continentur in libro vitæ, sed quia omnia quæ in eo scribuntur constant, id est firma sunt.

AD QUINTUM dicendum, quod liber vitæ non solum importat notitiã respectu vitæ gloriæ, sed etiam quandam electionem, non autem respectu vitæ nature, vt dictum est.

AD SEXTUM dicendum, quod vita gloriæ est minus nota nobis quam vita nature: & ideo ex vita nature deuenimus in cognitionem vitæ gloriæ, & similiter ex vita nature gloriæ vitã nominamus, quamuis vita gloriæ plus habeat de ratione vitæ, sicut ex his, quæ sunt apud nos nominamus Deũ, vnde non oportet, quod nomen vitæ intelligatur de vita nature, quando simpliciter profertur.

AD SEPTIMUM dicendum, quod vita gloriæ quantum est in se est permanentior, quam vita nature, quia per vitã gloriã vita nature stabilitur, sed per accidens vita nature est permanentior, quam vita gloriæ, in quantum. scilicet est propinquior viuenti, cui secundum existẽtiam suam debetur vita nature, non autem vita gloriæ. communior autẽ est quodammodo vitæ nature, & quodammodo nõ: dicitur dupliciter aliquid commune. vno modo per consecrationem, vel prædicationem, quando. scilicet aliquid quod unum inuenitur in multis secundum vnã rationem, & sic illud quod est communius, non est nobilius, sed imperfectius, sicut animal homine, & hoc modo vita nature est communior quã gloriæ. Alio modo per modum causæ, sicut causa quæ vna numero manens ad plures effectus se extendit, & sic illud quod est communius, est nobilius, vt consecratio ciuitatis quam consecratio familiaris est nobilius. hoc autem modo vita nature non est communior, quam vita gloria.

ARTICVLVS VII.

Primo queritur, vtum liber vitæ dicatur simpliciter respectu vitæ gloriæ. simpliciter respectu vitæ gloriæ. Et videt, quod sic.

A quia quod est in effectu nobilius inuenitur in cã, vt patet per Dion. in lib. de Diuinis nominibus: sed gloria est effectus gratiæ. ergo vita gratiæ est nobilior quam vita gloriæ. ergo liber vitæ principalis respicit vitam gratiæ, quam vitam gloriæ.

¶ 2 Præ. Liber vitæ est quædam prædestinationis conscriptio, vt supra dictum est: sed prædestinatio est communiter preparatio gratiæ, & gloriæ. ergo & liber vitæ vtramq; vitam communiter respicit.

¶ 3 Præ. Per librũ vitæ aliquid designant, vt ciues illius ciuitatis in qua est vita: sed sicut p vitã gloriæ aliquid efficiuntur ciues Hierusalẽ celestis, ita p vitã gratiæ aliquid efficiuntur ciues Ecclesiæ militantis. ergo liber vitæ respicit vitam gratiæ, sicut & gloriæ.

¶ 4 Præ. Quod de pluribus dicitur, dictum simpliciter intelligitur de eo, de quo per prius dicitur: sed vita gratiæ est prior vita gloriæ. ergo cum dicitur liber vitæ intelligitur de vita gratiæ.

SED CONTRA. Ille qui habet præsentem iustitiã, simpliciter habet vitam gratiæ: non autem dicitur simpliciter scriptus in libro vitæ, sed solum secundum quid, id est secundum præsentem iustitiã. ergo liber vitæ non respicit simpliciter vitam gratiæ.

¶ 2 Præ. Finis est nobilior his quæ sunt ad finem: sed vita gloriæ est finis gratiæ. ergo est nobilior. ergo simpliciter dicta vita intelligitur de vita gloriæ.

RESPOND. Dicendum, quod liber vitæ significat quandam conscriptionem alicuius ad vitam obtinendam, quasi quoddam præmium, & quasi possessionem quandam, ad quam huiusmodi homines consueuerunt conscribi. Illud autem proprie dicitur haberi, vt possessio, quod habetur ad nutum: & hoc est illud in quo nullum defectum patitur.

Vnde Philosophus dicit in principio Meta. quod scientia, quæ est de Deo, nõ est humana possessio, sed diuina, quia solus Deus perfecte seipsum cognoscit. homo autem ad cognoscendũ ipsum deficiens inuenitur. Et ideo tunc vita habetur, vt possessio, quando per vitam omnis defectus vitæ oppositus excluditur. Hoc autem facit vita gloriæ, in qua omnis mors, & corporalis, & spiritalis penitus absorbetur, vt nec sit remaneat potentia moriendi, non autem vita gratiæ. Et ideo liber vitæ non respicit simpliciter vitam gratiæ, sed gloriæ tantum.

AD PRIMUM ergo dicendum, quod quædam causa sunt nobiliores his, quorum sunt causa. scilicet efficiens, formalis, & finalis: & ideo quod est in talibus causis nobilius est in eis, quam in his quorum sunt causa: sed materia est imperfectior eo cuius est causa, & ideo aliquid est in materia minus nobiliter, quam sit in materiali: in materia. n. est incomplete, & in potentia, & in materiali. n. est actu. omnis autem dispositio, quæ preparat subiectũ ad aliquam formam, vel perfectionem recipiendam reducitur ad causam materialem, & hoc modo gratia est causa gloriæ: & ideo vita non est nobilior in gloria, quam in gratia.

AD SECUNDUM dicendum, quod prædestinatio non respicit gratiam nisi secundum quod ordinatur ad gloriã. Vnde esse prædestinatum non conuenit nisi his, qui habent finalem gratiam, quam sequitur gloria.

AD TERTIUM dicendum, quod quamuis illi qui habent vitam gratiæ, sint ciues Ecclesiæ militantis, tamen status Ecclesiæ militantis non est status in quo vita plene habetur, cum adhuc remaneat potentia ad mortem: & ideo respectu huiusmodi non dicitur liber vitæ.

AD QUARTUM dicendum, quod quævis vita gratiæ sit prior in via generationis, quã vita gloriæ, tamen vita

p. i. cap. 2. de Diu. nomi. declinando ad finem.

Art. 1. & 5. huius quæst.

Lib. 1. met. c. 2. 2. med. tom. 2.

QVÆST. VIII. DE COGNITIONE, ANGEL. ART. I.

vita gloriæ est prior secundum viam perfectionis: F
vt finis his, quæ sunt ad finem.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum sicut dicitur liber vite, possit dici liber mortis.

Gloss. ordi-
naria ibi.

OCTAVO quaeritur, vtrum possit dici liber
mortis, sicut dicitur liber vite. Et videtur qd
sic. Luc. 10. super illud, Gau dete, quia nomina ve-
stra, dicit glo. Si quis caelestia siue terrestria gesse-
rit per hoc quasi literis annotatus apud Dei me-
moriã eternãlter est afixus: sed sicut per ope-
ra caelestia, quæ sunt opera iustitia, aliquis ordina-
tur ad vitam, ita per opera terrestria quæ sunt ope-
ra peccati ordinatur ad mortẽ. ergo sicut in Deo
est conscrip̃tio ordinata ad vitam, ita est ibi con-
scrip̃tio ordinata ad mortẽ. ergo sicut in Deo di-
citur liber vite, ita & liber mortis.

¶ 2 Præc. Liber vite in Deo non ponitur nisi in-
quantum apud se conscrip̃tos habet quos ad eter-
na præmia preparauit, ad similitudinem eius, qd
princeps terrenus conscrip̃tos habet illos quos ad
aliquas dignitates determinauit: sed sicut prin-
ceps ciuitatis habet descriptas dignitates, & præ-
mia, ita etiam p̃nas, & supplicia, ergo & similiter
apud Deum debet boni liber mortis.

¶ 3 Præc. Sicut Deus cognoscit prædestinationẽ
suã qua alios preparauit ad vitã, ita cognoscit
reprobationẽ suã qua alios preparauit ad mor-
tem: sed ipsa notitia, quam Deus habet de sua præ-
destinatione dicitur liber vite, vt dictum est, ergo
& notitia reprobationis debet dici liber mortis.

Art. 1. lu-
sus quæst.

SED CONTRA, Secundum Dionysium
in libro de Diuinis nominibus, in principio, De
diuinis non est audendum aliquid dicere, nisi
quod est per auctoritatem sacræ scripturæ intro-
ductum: sed liber mortis non inuenitur in scri-
ptura dici de Deo, sicut liber vite. ergo non de-
bemus ponere librum mortis.

Cap. 1. pa-
rum a prin-
cipio.

RESPON. Dicendum, quod de eo, quod in li-
bro scriptum habetur, habet aliquis aliquam noti-
tiam præ alijs priuilegiatam. Vnde & respectu illo-
rum scitorũ a Deo liber dici debet de quibus ali-
quam specialem notitiam præ alijs habet. Est au-
tem i Deo duplex cognitio, scilicet simplicis no-
titia, & scientia approbationis. Scientia simplicis
notitiæ communis est omnibus bonis & malis,
scientia autem approbationis est bonorum tan-
tum. Et ideo boni habent aliquam priuilegiatam
cognitionem in Deo præ alijs, ratione cuius in li-
bro conscribi dicuntur: nõ autẽ mali, & ideo nõ
dicitur liber mortis si cut dicitur liber vite.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod quidã ope-
ra caelestia exponunt de operibus contemplatiue
vite, opera autem terrestria de operibus actiue.
per vtraque autem aliquis conscribitur ad vitam
non ad mortem, & ita vtraque conscrip̃tio ad li-
brum vite pertinet, & neutra ad librum mortis.
Quidam vero per opera terrestria intelligunt ope-
ra peccati, per quæ quãuis aliquis per se loquen-
do ordinetur ad mortem, tamen per accidens ali-
quis ordinatur ad vitam, in quantum aliquis post
peccatũ resurgit cautiõr, & humiliõr. Vel potest
dici, & melius, quod cum dicitur aliquid per alte-
rũ cognosci, hoc potest intelligi dupliciter. Vno
modo vt preposito designet causam cognitionis
ex parte cognoscẽtis, & sic non potest intelligi in
proposito, quia opera quæ quis facit bona vel ma-
la non sunt causa neq; diuinæ præscientiæ vel præ-
destinationis, neque reprobationis æternæ. Alio

modo vt designet causam ex parte cogniti, & sic
intelligitur in proposito, dicitur, n. aliquis esse an-
notatus apud Dei memoriã per opera, que ges-
sit: non quia huiusmodi opera sint cã quare Deus
cognoscit, sed quia Deus cognoscit, quod propter
huiusmodi opera aliquis habiturus est mortem,
vel vitam. vnde patet quod glossa illa non loquitur
de conscrip̃tione vite, quæ pertinet ad librum
vite, quæ est ex parte Dei.

AD SECVNDVM dicendum, quod aliqua conscri-
buntur in libro, vt perpetuo in notitia maneat.
Illi autem, qui puniuntur per p̃nas ipsas extermi-
nantur a notitia hominum, & ideo non conscri-
buntur, nisi forte ad tempus quousq; eis p̃nas
figatur. Sed illi qui deputantur ad dignitates, &
præmia conscribuntur simpliciter, vt quousq; per-
petua memoria habeantur.

AD TERTIVM dicendum, qd de reprobis Deus
non habet notitiam priuilegiatam, sicut de prece-
stinatis, & ideo non est simile.

QVÆSTIO OCTAUA.

De cognitione Angelorum.

In decem, & septem articulos diuisa.

¶ Primo enim quaeritur, Vtrum Angeli videant
Deum per essentiam.

¶ Secundo, Vtrum intellectus Angeli, vel homi-
nis beati essentiam diuinã comprehendat.

¶ Tertio, Vtrũ Angelus ex proprijs naturalibus ad
videndũ Deũ per essentia pertingere possit.

¶ Quarto, Vtrum Angelus videns Deum per es-
sentiam omnia cognoscat.

¶ Quinto, Vtrum visio rerum in verbo sit per ali-
quas similitudines rerum in intellectu angelo
existentes.

¶ Sexto, Vtrum Angelus cognoscat scripturam.

¶ Septimo, Vtrũ vnus Angelus alium intelligat.

¶ Octauo, Vtrũ Angelus materialia cognoscat per
aliquas formas, vel per essentia sui cognoscat.

¶ Nono, Vtrũ forme per quas Angeli cognoscunt
res materiales sint innatae, vel a rebus acceptae.

¶ Decimo, Vtrũ Angeli superiores habeat cogni-
tionẽ per formas magis vniuersales, q̃ inferiores.

¶ Vndecimo, Vtrũ Angelus singularia cognoscat.

¶ Duodecimo, Vtrum Angeli futura cognoscat.

¶ Tertiodecimo, Vtrum Angeli occulta cordium
scire valeant.

¶ Quartodecimo, Vtrum Angeli similes multos
cognoscat.

¶ Quintodecimo, Vtrum Angeli cognoscat
discurrendo de vno in aliud.

¶ Sextodecimo, Vtrum in Angelis distinguitur
beat cognitio matutina, & vespertina.

¶ Decimo septimo, Vtrũ cognitio Angelica per ma-
tutinã, & vespertinã sufficienter distinguitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Vtrum Angeli videant Deum per essentiam.

QVÆSTIO est de cognitione Angelorum. Et
primo quaeritur, vtrum Angeli videant Deum
per essentiam. Et videtur quod non. dicitur enim
per Ioan. 1. Deum nemo vidit vnquam: super quod
dicit Chrysost. Sed nec ipse dico caelestes esse
scilicet ipsa Cherubim, & Seraphim ipsum, vnde, vt
quoniam